


Johann Cothmann

**Programma Quo Decanus Johannes Cothman, S.S. Theologiae Doctor & Prof., ac p.t. Academiae Rector, Suo & Facultatis Theologicae nomine Ad Disputationem Inauguralem Viri Reverendi & Clarißimi Dn. M. Samuelis Hofmanni, ... Ad diem 3. Octobris habendam ... invitat**

Rostochii: Kilius, 1644

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn738015601>

Druck Freier  Zugang



J. Cothmann 16  
Vert. S. Hofmann's,  
R. U. Chiol. 1644.

Progr. + 4. 1/2.







PROGRAMMA

Quo

DECANUS  
JOHANNES COTHMAN,

S. S. Theologiæ Doctor & Prof.

ac p. t. Academiae RECTOR, Suo  
& Facultatis Theologiæ nomine

Ad

Disputationem Inauguralem

*Viri Reverendi & Clarissimi*

DN. M. SAMUELIS HOFMANNI,

Consistorii Ecclesiastici Consilarii, & Præ-  
positi Berolinensis vigilantissimi,

*Ad Diem 3. Octobris habendam*

Consultissimos, Excellentissimos, Ex-  
perientissimos ac Clarissimos Dnn. Professo-  
res, nec non omnes & singulos cives Acade-  
micos, eâ quâ par est diligentia, invitat.

••(O)••

ROSTOCHII;

Typi NICOLAI KILLII, Academiae Typographi.


Anno M. DC. XLIV.



1644

19





**D**EUM in omnibus suis operibus mirabilem esse, illi imprimis apparet, qui in vero ipsius timore opera illa considerat, & quantum humana admittit fragilitas, piâ devotione eadem, memori mente sapius volvit ac revolvit. verissimum enim est quod David *וְיִשְׂרָאֵל אָמַר* affirmat: mirabilia sunt opera tua, agnoscit hoc quam maxime anima mea. Quæ verba B. Luth. emphaticè reddidit: Wunderbarlich sind deine Werck / vnd das erkennet meine Seele wol. Nec solum in operibus suis universalibus, & ipsa Ecclesiæ gubernatione, ac à Tyrannorum insultibus paternâ conservatione mirabilis est DEUS Trinus benedictus in secula: sed & in particulari mirabiliter divina bonitas sapissimè agit. Agnoscit Jeremiam, nondum in utero materno formatum, illumq; ad munus propheticum sanctificat. Segregat ab utero matris & Apostolum summum constituit Paulum, antea blasphemum & Ecclesiæ persecutorem Saulum. Et quamvis extraordinaria hodie & immediata vocatio cesser, negari tamen nequit, DEO relinqui libertatem,



tem, mirabiliter agendi, & hunc vel illum, à tene-  
ris ut dicitur unguiculis, per varios casus, per tot  
discrimina rerum ducendi, ut propriâ conscien-  
tiâ teste fatendum sapius sit, ecce! hæc DEI ma-  
nus est, hæc paternâ DEI cura! mirabiliter vitæ  
meæ actiones dirigens. Proinde Davidis in his-  
ce casibus ingeminandus locus à B. Luth. ita red-  
ditus: *Erkennt doch/ daß der HERR seine Heil-  
gen wunderbarlich führet.* Sententiæ hujus verita-  
tem nobiscum agnoscit, Reverendus & Cla-  
riss. Vir D<sup>N</sup>. M. SAMUEL HOFMANNUS, Sacri  
Consistorii Electoralis Brandenburgici, Colonia  
ad Spream Adessor, Berolinensiu Pastor, & Præ-  
positus vigilantissimus, nec non vicinarû ibidem  
Ecclesiarû Superintendens fidelissimus, S. S. Th.  
Candidatus. Qui cum Penicæ civitate Misniæ  
hoc ipso seculo 1608. m. decemb. honestis paren-  
tibus & majoribus in senatoria & Ecclesiastica di-  
gnitate cõstitutis natus esset, ab ipsa tenellâ aetate  
mirabilem DEI expertus opem. Postquam enim  
conspirantibus parentû ac propinquorû vôtis,  
in Scholis inferioribus prima feliciter literarum  
jecisset fundamenta, adeò ut studiis Academicis  
jam aptus videretur, non tamen sibi solum reli-  
ctus, sed à præceptoribus suis benè sibi cupienti-  
bus, viro plurimum Reverendo, Clariss. & Excel-  
lentis: Dn. D. VINCENTIO SCHMUCCIO, S.S.

1608

A 2

Theol-



Theol. Prof. Publico, & Superintendenti Lipsi-  
nfi benè merito, commendatus est, cui ob sum-  
ptuum penuriam, per sesquiannum servitia præ-  
stitit, & sicuti in Academiis illis moris est, famu-  
latus fuit. Interea temporis verò, non otio indul-  
sit, sed Professores legentes, imprimis Dn. D.  
Heinricum Hopfnerum, Dn. D. Polycarpum Ly-  
serum, Dn. Johannem Hopnerum, & Dn. D.  
Schmuccium hospitem, diligenter audivit. Cum  
verò suadentibus parentibus & cognatis, exte-  
ras regiones & Academias visitare proposuisset,  
principiò Academiam elegit Gryphiswalden-  
sem, ubi præter Theologos sedulus audivit M.  
J. S. linguas orientales publicè proponentem,  
Relicta Academia ista in hanc nostram concessit,  
ibidemq; per integrum sexenniū commora-  
tus fuit, cum vero sumptus studiis impendendi  
paulatim imminuerentur, subsidium honestum  
potius amplecti, quam studia benè cœpta dese-  
rere voluit. Aliorum igitur liberorum præceptor  
constitutus, eosdem vitâ & doctrinâ fideliter in-  
formavit, & hoc pacto Evergetarum suorum ani-  
mos tantopere sibi devinxit, ut abeūtem ægrè di-  
miserint. Qualem tunc temporis apud nos vi-  
xerit vitam, non solum ex Reverendi hujus  
ministerii videre est literis testimonialibus ho-  
nestissimis, sed insuper rei huic testi monium per-  
hibet



hibet, quod Candidatus noster in hac Academia publicè & privatim docentibus assiduè ad pedes affedit, dum Dn. D. Paulum Tarnovium, L. C. Hafenrefferi explicantem, Dn. D. Johannem Quistorpium, publicè & privatim legentem, Dn. D. Johannem Tarnovium, Collegia concionatoria lectoria & disputatoria instituentem, & me p. t. Decanum publicè ac privatim prælegendem, Dn. M. Johannem Kleinium Collegium super N. T. habentem, indefesso studio & concatenata quasi opera audivit. Et quamvis rerum gerendarum nervus paulatim fuerit absumptus, mediocri tamen parentum auxilio, & largo promotorum beneficio effectum est, ut integrum in hac Academia sexennium dicto modo candidatus noster absolverit, & disputatione publicâ de S. Cænâ contra pontificiorum *πονηρικλοπι*, me jam Decano præside habuerit, Academiae nostræ vitæ & diligentiae testimonium nactus valedixerit. Discedens hinc, Daniam & Borussia, salutatis ibidem professoribus præviâ consideratione Academicarum status, peragravit, & Francofurtum veniens, per integrum ibidem annum substitit, ibiq; D. P. elargum & reliquos Professores audivit, apertisq; collegiis Philosophicis, quibus alios docendo ipse didicit. Juxta tritum illud. docendo discimus, neces-



arios sumptus hinc acquisivit. Postquam ita primos labore & diligentia consumpsit annos Anno 1633. 21. Januar. ad Archidiaconatum Majoris Glogoviæ in Silesiâ tum temporis vacantem, vocatus est. ab Ampliff. ejus loci enatu, & insuper 25 ejusdem munus Superintendentis Ducatus Crosnensis eidem commissum. Quoniam verò alij egregij viri, Candidati nostri fidelitatem perspiciebant, hinc factum est, ut alij ejusdem operam expetiverint. Proinde επισκοπή seu inspectio Ecclesiæ Saganensis ipsi commissa, quam per integrum quinquennium exornavit, quamvis ibidem γλυκύπικρον senserit. Honestam enim DEI benedictione habens functionem, Jesuitarum tamen malitiam experiri necessum habuit, adeo quidem, ut ne ad horæ momentum emigrationis terminum prorogare voluerint, sed statim cum collegis fugere, subjuncta lictoris, imo ipsius carnificis comminatione. Sed impletum tunc est dictum Servatoris: si persecuti vos fuerint, in civitate hac, fugite in aliam, proinde divina bonitas Candidato nostro, diversas vocationes in Silesiâ, Lusatiâ, & Marchiâ obtulit, ex quibus Berolinensis Ecclesiæ functionem, antea quidem oblatam, sed ne Saganæ, Jesuitis vacuâ functione jus patronatus concederetur modestè spretam, acceptavit. Accedente cum primis confirmatio-

ne



ne Serenissimi & potentissimi Electoris Brandenburgici DN. GEORGII WILHELMI, beatiff. recordationis. Suffectus itaq; Candidatus noster in locum viri quondam Reverendi & Clariff. Dn. Nicolai Elerdi, præpositi & Superintendentis Berolinensis fidelissimi. Quæ vocatio Candidato nostro viam ad majores honores capescendos aperuit. Serenissimus enim & potentissimus Elector Brandenburgicus FRIDERICH WILHELM ad clavum imperij jam sedens, missis ad facultatem nostrâ literis, clementissime voluit, ut Candidato nostro, cui præter dignitatem Ecclesiasticam jam antè collatam, munus Consiliarij Consistorialis, illustrissima ejus celsitudo contulit, supremum in Theologiâ gradum conferremus. Idem Amplissimus civitatis Berolinensis petiit Senatus, testantibus id literis Facultati nostræ inscriptis. Quapropter Candidatum nostrum ad usitatum examèn admisimus, ejusdemq; in Theologiâ laudabilem profectum cognovimus. Ideo voluntati Serenissimi & potentissimi Electoris Brandenburgici, ac Amplissimi Senatus Berolinensis petitioni lubenti animo assurreximus. Imprimis cum præter eruditionem, examine privato nobis demonstratam, Amplissimus Berolinensis Senatus Candidato nostro hoc perhibeat testimonium, illum



illum hominem esse doctissimum, in religione  
purum, in conversatione modestum & candi-  
dum, in vita & moribus inculpabilem, erga col-  
legas placidum. Summatim, ita comparatum,  
ut jam dudum gradum Doctoris petere potue-  
rit. Postquam igitur privato examine, Facul-  
tati nostræ satisfecit, in publicum Candidatum  
nostrum producimus, eundemq; de materiâ o-  
mnium gravissimâ, justificatione hominis pec-  
catoris coram DEO, disputaturum sistimus.  
Vos Academiæ cives omnium ordinum hono-  
ratissimi, honorificâ vestrâ præsentia actum  
hunc solemnem exornabitis, & in Candidati no-  
stri eruditionem pro temporis ratione inquire-  
tis. Id sicuti Facultati nostræ, & Dn. Candidato  
gratissimum, ita Facultas nostra de vobis be-  
ne mereri studebit. Rostoch. sub sigillo Fa-

cultatis 29 Septembr. Anno


M. DC. XLIV.













ne Serenissimi & potentissimi Electoris Brandenburgici DN. GEORGII WILHELMI, b  
recordationis. Suffectus itaq; Candidatu  
ster in locum viri quondam Reverendi & C  
Dn. Nicolai Elerdi, præpositi & Superi  
dentis Berolinensis fidelissimi. Quæ vo  
Candidato nostro viam ad majores honor  
pescendos aperuit. Serenissimus enim &  
tentissimus Elector Brandenburgicus FR  
RICH WILHELM ad clavum imperij ja  
dens, missis ad facultatem nostrâ literis, ele  
tissime voluit, ut Candidato nostro, cui p  
dignitatem Ecclesiasticam jam ante collat  
munus Consiliarij Consistorialis, illustriss  
celstrudo contulit, supremum in Theologiâ  
dum conferremus. Idem Amplissimus Ci  
tis Berolinensis petiit Senatus, testantibus i  
ris Facultati nostræ inscriptis. Quapro  
Candidatum nostrum ad usitatum exam  
mimus, ejusdemq; in Theologiâ laud  
lem profectum cognovimus. Ideo volui  
Serenissimi & potentissimi Electoris Branden  
gici, ac Amplissimi Senatus Berolinensis pet  
ni lubenti animo assurreximus. Imprimis  
præter eruditionem, examine privato nobis  
monstratam, Amplissimus Berolinensis Sen  
Candidato nostro hoc perhibeat testimoni  
il

